HYMENÆUS
Augg. Principum,

VLADISLAI IV.
Poloniæ ac Sveciæ Re=
gis, &c. &c.

nec non

RENATÆ CÆCILIÆ
Divi Ferd. II. Rom. Imp. F. Ar=
chiducis Austriæ, &c. &c.

celebratus

C. Epigrammatis hexastichis

à

Frid. Zamelio.

Typis Bodenhausianis,
Anno M.DC.XXXVII.

Lectori S.

IMpune, Lector, auscultasti lusus meos, quotcumq; erant. Nam & absq; aliquâ Tuâ impensâ Tuos feceras. Summos, imos adiverunt Musæ meæ, nulli graves. Hanc in mentem impulerat eas partim ipsarum ingenuitas, partim institutum meum, ad quod vitæ melior conditio accesserat. In quâ etsi utilitates ex iis studiis non sequebar; amœnitati tamen, & quæ inde cœperat, consvetudini illigabar. Etenim id operam dabam, ut si quid in exemplum præstarem, hoc ipso à contemtu ætherium Jovis genus assererem. Credo, quia nec consilium meum latebat, & fortè genius aderat; placuisse ea Principibus viris, ac præcipuè Patriæ Patri illa, quæ temere congesta nuper emiseram. Cui si quid meritò solvimus, quod meritis ejus par esse non potest; huic Sponso tamtùm num plurima deberi fatendum est. Ego eas colendi Regis mei partes mihi desumsi; quibus, si meas solùm vires respicio, fungi poteram promtiùs, defungi feliciùs. Tuum est, Lector, aut sic aut aliter favere atq; applaudere illi, qui nos cùm jucundissimâ datæ pacis aurâ, tum præcipuè amicissimo suo vultu in hæc studia animat. Nam si illustrium virorum fatis nostra implicantur; Tuo vel hoc uno calculo non tam voluptatum Tuarum rationem inibis, quàm ingentium votorum prolixitatem compendifacies. Quippe Tibi Tuisq;, immenso deinde Orbi id faustum & salutare esse voles, quod Augustissimo Regi inter connubiales faces ardenter apprecaberis. Vale. Dab. Elbingæ anno sal. n. M. DC. XXXVII. Pr. Non. Aug.

1. Ad Serenissimum ac Potentissimum Poloniæ & Sveciæ Regem VLADISLAUM IV. Sp.

SIve petenda Tibi, Rex Vladisläe, dearum
 Vna fuit, magno quæ Iove nata foret:
Seu thalamis quærenda Tuis, quæ Cæsaris esset
 Filia. Malebas Cæsaris esse gener.
Humani indicium fuit illud pectoris in Te,
 Proxima quòd divis virgo placebat *homo*.

2. Ad Musam.

SVggere Musa Tuo carmen memorabile Vati,
 Quod Rex armipotens & nova nupta legat.
Quod cùm Sarmaticæ pars legerit optima gentis,
 Ingenii cultum dicat habere Tui.
Si mihi concilias populi felicis amorem,
 Dulce meæ Numen posteritatis eris.

3. Regias Vladislai nuptias solis se Epigramm. prosequi constituisse.

CArmine, quo placui, Regum celebremus amores:
 Quoq; trahat viso missus in arma moram.
Ipsa sibi brevitas hodie præconia fecit:
 Vna juvat brevitas, si quod acumen inest.
Nam quid & Augustum lasset prolixa dearum
 Pompa? refert cunctas Regia nimfa deas.

4. Ad verſus ſuos.

ITe mei verſus ſub celſa palatia Regis:
Ac primùm Regi Principibusq; probere.
Deinde ſub æternæ veniatis mœnia Romæ,
Et vos Romanus Conſul equesq; legant.
Sit ſatis, hoc ungui ſi ſtetis iisq; magiſtris,
Quos mihi ſive vetus ſeu nova Roma dedit.

5. Italiæ Poëtarum more Reginam ſe colere velle.

PErtinet ad Latios Muſarum gloria Vates.
His modus & brevitas ingenioſa placet.
Omne ſecant nimium: nec potor diffluit undæ.
Caſtaliam Auſonius namq; Poëta bibit.
Reginæ thalamos ornemus more Latino.
Marſya veſano proluat ora mero.

6. Ad Poëtas ſui ſeculi.

HVc quibus unus amor Veneri conjungere Martem,
Adq; maritales dicere vota thoros.
Quid vos ſollicitant humilis connubia turbæ,
Dum quatit Auguſtas maxima Iuno faces?
Vtile rus illis prolemq; optaſtis amicam:
In ſe rem populi commoda Regis habent.

7. A Phœbo ſe admonitum eſſe, ne Epicis Regis Reginæq; amores caneret.

Ver-

VErsibus in nostris, quales sibi prælia poscunt,
Signâram Paphiæ munia prima deæ.
Huc Iuno & Siculum cum matre Proserpina Numen,
Venerat, & Pallas Naiadumq; chorus.
Admonuit Phœbus non hoc opus esse theatro,
Virgine in Augustâ carminis esse modum.

8. Ad Sereniss. Austriæ Archiducem Renatam Cæciliam Sp.

AD Te qui missi veniunt de gente Polonâ,
Esse puta populum, dia Renata, Tuum.
E Regno venêre Tuo, quod nupta capesses:
In quo se Latium Romaq; prisca videt.
Audieris Latias illic sata Cæsare voces.
His resonant ædes, his fremit omne forum.

9. Ad Eamdem,

cùm inter Austriæ vineta viam faceret.

VItiferos, Regina, vides consurgere colles
Vndiq;, & Auctumno luxuriare suo.
Ecce ut pampineâ requiescit Liber in umbrâ,
Oraq; prædulci de botryone rubent!
Nec procul hinc inter salices ut Panes oberrant,
Seq; probant oculis omnia rura Tuis!

10. Mercurii indignatio.

SCilicet ad solas mittar Caducifer umbras,
Nec Iovis in terras ardua jussa feram?

Nullaq; erunt cum dIs posthac commercia Regum,
Et nubet suboles Cæsaris absq; Iove?
Hæc Majâ genitus, sed & hoc: aut Iupiter ista
Negligit, aut Numen sanctius orbis habet.

11. Ad jugales, quibus Regia Sponsa deducebatur.

QVid tentas, sonipes, gressus glomerare superbos?
Esseda composito duc Tibi juncta gradu.
Ne ferus impingas. Nescis quæ pignora ducas?
Cæsareâ vehitur credita virgo manu.
Dimidium est hujus, qui sceptra Polonica gestat.
Quem lædas animum, ni moderatus eas?

12. Ad Regiam Sponsam, cùm per silvas incederet.

DVm per tot nemora ingrederis tot & herbida rura;
Sic potes ingratas, diva, levare moras.
Quod facis, ætherium votis venerabêre Regem.
Cætera cum nimfis tempora falle Tuis.
Illa sinu flores gerat & vim narret eorum:
Hæc facili nectat myrtea serta manu.

13. Ad ipsa nemora.

SIlvarum frundes, si digna est Cæsare laurus
In vobis, aut si Cypria myrtus inest;
Gratantum specie vos almæ obvertite nimfæ,
Dum patris & Sponsi per sola tendit iter.

Hinc

Hinc genus illa suum succumbere discet Amori:
Semper at Augustos inde reponet avos.

14. Ad Sereniss. Sponsam.

QVà graderis, Regina potens, hæc Regna parentis
Antè fuêre Tui: nunc ea frater habet.
Quò properas, sceptris obnoxia terra mariti est.
Omnia sunt generis, Cæsare nata, Tui.
Tolle oculos cœlo: sunt illic Regna deorum.
Et genus & Superos, quos imiteris, habes.

15. Diana profuga.

TRadiderat pharetramq; suis vestemq; puellis
Delia: jam liquidas nuda petebat aquas:
Cùm subiêre nemus, quòd eò via trita ferebat,
Austriacæ currus densaq; turba deæ.
Non vetus Actæon, sed adest deus aut dea, dixit
Delia silvipotens, corripuitq; fugam.

16. Ad nemorum deos.

DI nemorum, si sunt magno sub Cæsare silvæ;
Et jus in vestro munere Cæsar habet.
Illius germana soror gens Cæsaris ipsa
Ingreditur longam per nemora alta viam.
Ne noceant frundes, in casu advertite. Fas est,
Majoris curam Numen habere minus.

17. Ad Seren. Sponsam.

SI quæras, ô diva potens, quâ parte locorum
Carmina de thalamis sint mea texta Tuis;
Omnia sunt ruri, sed pleraq; condita silvis.
Condita nulla tamen rure fuêre meo.
Nam nusquam hoc ipsum est: usquã te dante sed esset;
Non possem in laudes non satis ire Tuas.

18. Ad nemora.

VOs nemora & fontes, vos roscida rura frequento.
Nec mihi tam campi, quàm juga summa placent.
A vobis sumam, quod me super æquoris oras
Tollat, & ætheriâ ponat in arce deûm.
Condam ego, quæ Vatum non dedignabitur auris,
Et quæ terrarum Numina magna legent.

19. Ad Faunos.

CApripedes Fauni, quà per nemus Austria virgo
Incedit, vestri moris inite sales.
Turba salax nimiùm es: ne sit lascivia major,
Quàm probet aut possit dissimulare pudor.
Hoc agite in silvis (gaudent hæ simplice cultu)
Nec Regum turres turpe subite pecus.

20. De curru & pompâ novæ Sp.

VIderat Austriacam Sol, qui videt omnia, pompam,
Cæciliæ currum, virgineosq; choros.
Et Veneri dixit, quæ tunc vicina cadenti:
Hac turbâ hoc cultu Regia Juno caret.

Nem-

Nempe, ſoror, ſua ſunt & terris Numina: quorum
Maxima ſunt Cæſar Cæſareumq; genus.

21. Ad Ventos.

ADſpirate meis, ventorum examina, votis:
Nec turbet claros murmur inane ſonos.
Et nemore & campo quaſcumq; petiverit auras,
Reginæ feriant oſcula blanda meæ.
Sive roget Borean, tepidis ſeu gaudeat Auſtris,
Impetret à Regnis diva Renata ſuis.

22. Ad Eoſdem.

VOs ego ventorum leniſſima ſibila poſco:
Qualibus afflari Regia nimfa velit.
Dum geminat Phœbus jam pronâ æſtate calores,
Iſta juvant Muſas frigora ſola meas.
Sed primùm Dominæ vultum ſubeatis: ab illo
Si qua ruet vultu, gratior aura ruet.

23. Neptunus ab æquore proſpectans.

AVſtriacæ ſtupuit turrita petorita nimfæ
Verſus ab æquoreis Ennoſigæus aquis.
Tum miratus equos, ſunt hi Pagaſæa propago,
Talis Amyclæi Caſtoris, inquit, erat.
Talem habuit dux, Pella, Tuus: fuit artubus iſtis,
Quem concuſſa meo terra tridente dedit.

24. Ad Ser. Sponſam.

VAnus honor non eſt, Regis nova nupta Poloni,
Quod dea carminibus diceris eſſe meis.
Si minor es Superis, cedunt Tibi Numina ruris:
Nec Dryadas tamti eſt inter habere locum.
Doridos in Regno par eſt Tibi nulla dearum;
Deinde Iovem tangit gentis origo Tuæ.

25. Ad Eamdem Germaniæ rura obiter transeuntem.

ADſpice Teutonicos, virgo celſiſſima, fundos.
Quò minùs arva probes omnia, pace carent.
Quà jacet introrſum major Germania, plus eſt
Terrarum, externo fœdere quod periit.
Vir fraterq; Tuus naturæ fœdera ſervant,
Tuq; deûm ſedes & loca pacis adis.

26. Ad Eamdem.

CÆcilia, Auſonii deſcendis limite Regni,
Et mihi ſi credis rura Lacæna premes.
At non ſpectabis vanæ Menelaidos arces,
Mœnia Lecheâ ſed fabricata manu.
Et Tibi civis erit, qualis Lacedæmone vixit:
Pro Te qui ferrum corq; virile geret.

27. De reſtauratione Arcis Varſavienſis.

ÆDificat Sponſus magni cui filia nubit
Cæſaris, & veteres mutat in arce Lares.

Incon-

Inconcussa manent firmis palatia muris.
Dejicit hæc quæ jam ruperat ipsa dies.
Arte novâ belli tres qui compescuit hostes,
Dignus hic est arces Sponsus habere novas.

28. Ad Sponsam Regiam.

SI, dea, victricem Tibi jussi attendere laurum,
Si fuit imperiis obsequiosa meis;
Cùm Tibi per silvas vel avitas esset eundum,
Vel quas Sponsus habet, causa diserta fuit.
Hanc proavi gessère Tui, meruitq; maritus.
Pertinet ad Thalamos gloria tamta Tuos.

29. Ad Augustiss. Regem Vlad. Sp.

DEcedunt nobis Phœbeïa sidera, jamq;
Instat ab opposito frigida bruma polo.
At Tibi fit propior semper Tuus ignis, & intra
Imperii fines dicitur esse Tui.
Iamq; oculis animoq; omnem conceperis æstum,
Vladislaë; Tibi tota recedet hiems.

30. Ad Poloniam,

cùm Regia Sponsa appropinquasset.

PAnde Tuas portas, Cerealis terra, Renatæ:
Ducitur ad Regem quæ nova nupta Tuum,
Si quem præstabis, præstabitur ille marito
Cultus, & inde Tuæ præmia laudis erunt.

Hæc dea gentis erit: cui nec Cybeleia turba,
Attica nec Cereris pompa ſat eſſe poteſt.

31. Ad Solem, ut noctem differat.

DIgna deûm thalamis adventat Sponſa Poloni
Regis, & hac portam luce ſubire parat.
Longa via eſt. Extende diem, vicinaq; noctis,
Phœbe, nec abjunctis tempora differ equis.
Quod ſi aliquid debes, ô Sol, mortalibus ægris;
Cæſareæ major ſit Tibi cura domûs.

32. Ad cives Varſavienſes, ut Sponſæ cum Rege obviam eant.

I comes Auguſto, felix Varſavia, Regi.
Exi de portis. Auſtria nimfa venit.
Omne nota nectar, quo manant oſcula Regum,
Hæc rerum facies rura Laresq; beat.
Quod ſegeti pluviæ, terram quibus irrigat æther,
Hoc Regnis tali fœdere nixus amor.

33. Ad Viſtulam.

VIſtula, quem vitreis habitat dea Lechis in antris,
Lactea quam Gracchis Varſaviasq; colunt,
Quam deinde innumeræ comitantur in ordine nimfæ,
Antra ſubi rauco murmure; tunde fores.
Dic illi turbæ linquenda cubilia fontis:
Cui ſummum imperium fontis, adeſſe deam.

34. Ad

34. Ad Lechida Vistulæ nimfarū primam: ut suo, id est, nimfarum habitu novæ Reginæ occurrat.

DIa virago venit, Lechéi maxima Regni.
Lechi, fuga somnum: cingere veste Tuâ.
Illa Tibi fontes atq; humida Regna relinquet:
Et Tu sceptra Tuo munere digna geres.
Ad Dominam accelera, cui veste placebis in illâ;
Quâ Te, Lechi, deam fluminis esse probas.

35. Ad Reg. Sponsam.

NE mirâre, potens Regina, ferasq; molestè,
Quòd Te, quà flectis, plebs numerosa premit.
Omne Tibi nomen populi favet, ipsaq; longo
Agmine Sarmaticæ purpura gentis adest.
Te cœlo ut spectent, coiêre diiq; deæq;.
Et non spectatum Te Tua turba ruat?

36. Ceres Serenisf. Renatam Cæcil. sequuta.

SPicea mater adest. Siculi lugete Penates.
Austriacam Ennæa est diva secuta nurum.
Annorum in Siculis sex penè ego millia degi:
Nunc mihi, sic dixit, rura Polona placent.
Quis vetet hoc Regno totidem mansisse per annos?
Sic me nata fugit, sic mihi nata redit.

37. Ad cives Varsavienses.

SVccessit Regina Tuis, Vrbs Regia, portis:
Iamq; Tui posuit Regis in arce pedem.
Transiit hic splendor, cives, qui vestra tenebat
Lumina; quo lucis tracta, vel aucta mora est.
Hoc commune diis terrarum Numina servant;
Vt quò se vertant, lux sit & alba dies.

38. Ad Reg. Sponsam.

PRogenies Regum, quorum sub sceptra Quirites,
Germanus, Calaber, Sardus & Astur eunt,
Sponsa Ladislai, genus altum disce mariti.
Quos memoras atavos, Rex quoq; noster habet.
Vt scires, quid Rex ultra maria asserat idem;
Sub Boreâ Boreæ Rex pater ortus erat.

39. Ad Varsaviam.

HActenus hoc nomen defenderit Austria virgo,
Visaq; sit Regnis extera nimfa Tuis.
Iam fiet quod Rex quod Cæsar & ipsa volebat:
Sarmaticum Princeps summa per imperium.
Iam dices: Egressa domo Regina Polona est,
Cùm virides hortos notaq; rura petet.

40. Mars Reginæ supplex.

BEllando vicit, cunctando perdidit hostes
Vir Tuus: eripuit tela deditq; mihi:
Sic Mars: & sumsi hoc posuiq; autore furorem:
Conjugis imperio res bene gesta Tui est.

Vicisti Tu nimfa potens, qui vicerat omnes.
Ecce Tuos supplex Mars jacet ante pedes.

41. Ad nimfas Sarmatidas.

SArmatides nimfæ, quarum si nomina dicam,
Longa recensenti transeat antè dies.
Lassa viæ dum Sponsa jacet resoluta quiete;
Sit vobis, hortos Regis adire mei.
Carpite jucundos Reginæ in munera flores,
Queis frontem redimat conjugis illa sui.

42. Ad Regni incolas.

QVæ liceat Regum geniali pangere lecto,
Vota ferè nostræ nil rationis habent.
Omnia sunt majora: manent nos fata duorum:
Et quæ sors Regum est, Incola; deinde Tua est.
Quod Patriæ Patri Superos orabis amicos;
Hoc est, quod populi publica caussa rogat.

43. Ad Reg. Sponsam.

INdue purpureas virgo sata Cæsare vestes:
Sume Tibi virides cæruleasq; togas.
Tu Regina potens terræ dominaris & alto:
Ad Superos altum stemma referre potes.
Vt nihil in vulgo præstant discrimina cultûs;
Sic quid Tu possis, indicat iste color.

44. Pallas confusa.

Qua-

QValibus Idmonidem Pallas superârit Arachnen,
Cæciliæ telas illa datura fuit.
Sed byssum pictasq; manu Babylonide vestes,
Nysæisq; videns stamina texta jugis,
Restitit: & vinci, dixit, potuisse Minervam
Arguat è donis ulla puella meis?

45. De mense Septembri, qui nuptiis Regiis præstitutus erat.

ET Veneri certamen erat nuptæq; Tonantis,
Et plusquam litem moverat alma Ceres;
Quo thalamos Rex mense suos Lechéus iniret:
Et data legiferæ est à Iove palma deæ.
Septembrem asseruit. Messem tunc horrea condunt,
Pomaq; sunt. Cereri deniq; terra sacra est.

43. De die earumdem nuptiarũ; quem etsi ob plurimas Reg. M.tis occupationes differri contigerit, dictus tamen erat VI. Sept.

ENnææ Cereri risisse Thalassio fertur.
Idibus octavis hæc sacra, dixit, erunt.
Iamq; novas caussas & Te nova Roma sequamur.
Tunc Victorini nomina mensis habet.
Rege dies digna est, & quæ lux postera surget.
Dicitur & caussas Rex habuisse suas.

47. Regis exemplo Septembri nubendum esse.

Ad

AT vos, ô Iuvenes, cùm primùm Astræa refulsit,
Ducite dilectas tecta sub alta nurus.
Virginis occasu facit hic hymenëia festa,
Cui Balthe & Pontus terminat Imperium.
Non quid adulta Ceres præstet vel svadeat algor,
Imputo. Sed vobis Rex meus autor erit.

48. Ad Serenissimam Regin.

EDita Cæsaribus, Tibi connubialia sacra
Sarmata Lechéo noster in orbe parat.
Austria cum Bojis animos advertit & Hunnus.
Hunc & Roma diem Regna paterna colunt.
Nec juga suspiciant vestras Borealia tædas,
Si Reges Asiæ dona precesq; ferunt?

49. De conjugio Regio

inter nuptiales ritus.

TEmpla subit magni Rex & Regina Tonantis.
Iam ritu conjux fiet uterq; sacro.
Quisquis in hoc populo est, qui rectè accõmodat aures,
Solvat & ad Superos talibus ora modis:
Quod jurant Reges, in nos & sceptra redundat.
DI date, sit felix omnibus ista dies.

50. Ad Reginam.

ECce Tuæ fidei quæ nunc Tibi præmia dentur:
Quales nunc titulos, Austria virgo, geras.

Sis felix, Regina potens: Tibi Thracia cedit
Finibus Imperii, Moschiacíq; duces.
Quà Boreas primùm patriis exurgit ab antris;
Regina Arctoi diceris esse poli.

51. Ad Eamdem.

SI, Regina, Tuum nescis de limite Regnum,
Disce Tuos populos. Terra Polona Tua est.
Sors Tua sunt Prussi: Te Russia Principe gaudet:
Sub Te Livonia est, atq; Litous ager.
Si Moschos adeas, scopulosaq; Regna Gothorum;
Te rerum Dominam qui fateantur, erunt.

52. Ad Eamdem.

DE fluviis pelagoq; Tuas si noscere terras,
Nimfa potens, optas; respice Regna Noti:
Respice ad hærentes unâ statione Triones:
Et Pontum tangunt & glaciale fretum.
In medio Balthe est. Hypaninq; Isulamq; bibamus;
De Tanaiq; ; Tuæ, diva, bibentur aquæ.

53. De conjunctione ac necessitudine Rom. Impp. hodie ac Poloniæ Regum.

QVòd nunc Lechigenas Cæsar sanctissimus ornat;
Et Reges animat, Sarmatis ora, Tuos;
Romanâ res digna togâ est, assertaq; cœlo:
Qualis & Imperii res utriusq; juvat.

Quò

Quò prædæ raptæq; nurus ſub Cæſare priſco?
Iam rectè fiunt hic ſocer, ille gener.

54. Silenus ad Regem miſſus.

VEnerat ad Regem Silenus nomine Bacchi:
Venerat his Regem ſollicitare modis:
Rex, concede locum Baccho Tua feſta petenti.
Iam parat ad tædas ille venire Tuas.
Riſit ad hæc aliquis: nam ſi mera Rex habet, inquit,
Cretum atq; Italiæ; jam puto Bacchus adeſt.

55. Bacchus clàm libans.

INgreſſus tacitè convivia Regia Bacchus
(Nam ſpretum & ſimiles diximus eſſe deos)
Omne merum infuſum poſito libavit in auro:
Et nuſquam, dixit, dulcior uva fuit.
Cunctatusq; parùm, nec erat jucundior, inquit,
E noſtris oculis quam bibit Erigone.

56. Hercules poſthabitus.

IVſſerat Alciden Rex ad ſua feſta vocari.
Dignus ob hoc, cœlum quo meruiſſet, erat.
At ſtructor ſeu quisquis erat: Si Iupiter ipſe
Spretus abeſt, ò Rex, & Iovis omne genus,
Quin ſinis & natum Iove non ſine crimine. Dixit
Rex; & ad Alciden nemo vocator eat.

57. Ad Regem;
quare paganorum deos Regiis nuptiis excluſerit.

O Rex, cûi nullum ſuffecit Græcia Numen,
Cui colitur rerum conditor, hocq; ſatus;
Firma fides hæc eſt, quòd viceris auſpice Chriſto.
Omnis ab hoc uno Soſpite palma fuit.
Veſtra quid inceſtus convivia Iupiter intret?
Interſunt ſacris Numina vera Tuis.

58. Ad Reginam.

Mille adſunt Proceres: quos millia multa ſequuntur
Culturi tædas, dia Renata, Tuas.
Cœna datur populo, quam Regna Polona miniſtrant:
Rhetica de patriis vina bibuntur agris.
Dat Laletanos cognata Hiſpania ſuccos.
Hoc ſupereſt, quicquid fert peregrina manus.

59. De convivio Regio.

Condere ſi liceat, jubeat ſi Regia legem
Cœna valere meam; lex mea talis erit:
Vina bibant fortes, qui res geſſêre, Poloni:
Infundat liquidum Turcica turba merum.
Dum bibitur, Boreas veneranda ſilentia præſtet:
Et Regum jaceat ſub pede Moſchus iners.

60. De præſtantiâ Poloniæ.

Squal-

SQuallentes Asiæ Scythico sub Principe terras
Cœlestes constat deseruisse deos.
Et quæ Teutoniæ facies? prô improba bella!
Aut quas delicias Moschus & Arctos alunt?
Æthiopum mensas, ad quales Iupiter ibat,
Et mare Bajanum Lechicus Orbis habet.

61. De ubertate omnium rerum in Poloniâ. Cùm cibus S. R. Majestati positus esset.

NOn facis insanos, generosa Polonia, sumtus,
Cùm struitur Regi splendida cœna Tuo.
Nata domi Tua sunt, possunt & inemta vocari
Prandia. Tot patrii commoda ruris habes.
Si piperis posses, si spernere nectaris usum;
Terq; quaterq; Tuo Sole beata fores.

62. De Regis Reginæq; cultu inter epulandum.

ASpice Regales epulas cultumq; duorum,
Quod geminũ in terris, Sarmata, Numen habes.
Augustus bis sex posuit triclinia divis:
De totidem questa est maxima Roma diis.
Quod Tibi divorum par, alma Polonia, cœnat,
Lechéos vero munere ditat agros.

63. De poculis ex Electro Borussiaco.

OStrea si nostris desunt, Rex maxime, ripis,
Et testam hanc patrii non habet acta maris;

Inde venit, de quo ſumunt ſua pocula Reges:
Eq; Tuis donis purpura ſola bibit.
Omne aurum remove, quo plena eſt Regia: menſas
Clarius ornabit ſuccina gutta Tuas.

64. Ad Regni incolas.

ASſere lætitiam geminis, bonus incola, palmis.
Omnibus hunc feſtum Rex jubet eſſe diem.
Nunc vocat ad cœnam, nunc dat ſpectacula ſeræ
Noctis: & in ludos deſinit acta dies.
In famulas abeant curarum pondera gentes,
Et metuant noſtros barbara Regna deos.

65. Ad Ser. Reginam.

MAjorum heroo debebas ſangvine naſci,
Digna Ladislai nimfa jacere thoro.
Terrori Moſchis fuit & cultoribus Hæmi
Hæc facies, cui Tu baſia ferre potes.
Sed ſi nuper erat populo mitiſſima noſtro;
Qualis erit, thalamos cùm petet ille Tuos?

66. Ad Apollinem.

LInque Iovis menſas: quid ſede moraris in unâ?
Dulce meo Regi profer, Apollo, melos.
Cum Iove ſi regnat ſceptri pars altera Cæſar,
Et lyricen magni Cæſaris eſſe potes.
Cæſareæ quoq; gentis eris. Si Iupiter obſtat;
Quem Rex opponat, Sarmatis ora dabit.

67. Ad

67. Ad Prin. Poët. Mat. C. S.

SArmatici auſculta Vates celeberrime Regni,
Quâ Regum cantas prælia, ſume lyram.
Hac hilarare deos potes, & celebrare deorum
Te coram poſitas in Iovis arce dapes.
Pange melos Sponſo, qui ſceptra Polonica tractat.
Fortiter & promtè Te præeunte ſequar.

68. Ad convivas Regios.

PVrpurâ quæ latè rerum moderaris habenas,
Sive mei populi es; ſeu peregrina venis:
Seu Regni venerâre deos, civiq; precaris
Læta Tuo; ſeu Te fœdera noſtra juvant:
Quem Regi præſtas inter ſua gaudia vultum,
Hoc dabit ad proprios quemq; redire Lares.

69. Ad Auguſtiſſ. Sponſum.

VNum eſt, quod poſcũt Te, Rex, mea carmina: quod (ſi
Annuis, ipſa ſatis ſunt placitura Tibi.
Et potes, & facies, & eras majora daturus,
Si peterem: ſed Te nil niſi juſta peto.
Quâ nuptæ arrides, Rex Vladislaë, recenti,
Hanc ſolam faciem verſibus opto meis.

70. Ad Seren. Sponſam.

LEchéi generis non dedignata cubile,
Et Iagellonio digna Renata viro,

Non

Non deerit ſtudium noſtræ Tibi gentis: & inter
Immenſum vulgus ſtabo Poëta Tuus.
Cùm populi in plauſu mea verba ac vota notabis,
Dices: hæc Vatis vox numeroſa mei eſt.

71. Ad Eamdem.

CRede potens virgo, quæ fixeris oſcula Regi,
Regnorum placidum fœdus habere trium.
Hunnus & antiquis vicina Boëmia Francis
Cum Regno faciunt, diva Polona, Tuo.
Tu lætam magno pacem cum Cæſare firmas:
Deq; Tuis florent arva Boruſſa labris.

72. Ad Venerem.

SEu maris è ſpumâ ſeu de Iove duxeris ortum,
Alma Venus; minor eſt Te dea nupta Iovi.
Ipſe Tuis quoties ſuccis ſe Iupiter explet,
Imperii ſequitur mollia juſſa Tui.
Et certè ſi non Tua ſunt, Venus, oſcula potus
Ille deûm; haut aliud dI puto nectar habent.

73. Veneris eſſe ſeculum

Regii matrimonii gratiâ adſtruitur.

SEcula ſunt Veneris: quod Mars ſibi vindicet ævum?
Currere nam Marti ſecula noſtra nego.
Marte quidem Moſchos Rex Vladislaus & Hebrum
Perculit, ac Gothicos juſſit abire duces.

Hoc

Hoc ſtudium, has artes nuper deponere juſſit
Blanda Venus. Quid Tu Mars truculente potes?

74. Ad Venerem.

O dea, cûi patrio ſervit Paphus ardua ritu,
Inq; focis ſimplex puraq; flamma micat,
Reginæ decus adde meæ, quocumq; niteſcis:
Tu dominæ Hyblæis oſcula tinge roſis.
Par Patriæ Patrem eſt, cujus decus aſſerit armis,
Sive cubare Tuo, ſeu meliore ſinu.

75. Ad Poëtas.

VOs qui Lechigenæ colitis connubia Regis,
Latoidæ Phœbi Calliopesq; chorus,
Dicite, quid bello Rex geſſerit; utq; rebelles
Fregerit, & patrios pace beârit agros.
Hinc thalamo præferte faces. Mihi prima peracta eſt
Functio: nunc rectè Te Cytheræa ſequor.

76. Res humanas Deo curæ eſſe,

Regum præcipuè heroumq; curam eum gerere.

CRedite mortales, ſi fiunt omnia fato,
Illuſtres Numen majus habere viros.
Scipiadum rebus præſentia Numinis hæſit:
Hoc Macedûm juvit Cecropidûmq; duces.
Ad Regum veniunt ipſi connubia divi:
Nec Iagellonias hi tueantur opes?

77. In Cupidinem.

SIve Iovem videam, ſeu ducar in atria Regum,
Affarer patrios ore tremente deos.
Nec, ſi carminibus præluſtria pectora flexi;
Demeret hunc nobis tam bona cauſſa metum.
At quæ, parve puer, tamta eſt fiducia rerum,
Tela quòd in Reges dirigis inq; Iovem?

78. Ad Regin.

NVmquid Acidaliam, Romani filia Regis,
Fas erat ad thalami ſacra vocare Tui?
Numquid opus Iunone fuit? Pro Cypride ſeu Tu
Sive erit ille chorus, quo comitante venis.
Et thalamum poſuêre Tibi lectiſſima corda
Sarmatides; quibus eſt Iuno Pelasga minor.

79. Ad Eamdem.

NVlla Tibi per me, Regina, vocata dearum eſt.
Nam Tu cùm nimfis hoc potes eſſe Tuis.
Sollicitata meis fertur tamen unica votis.
Non ego diffiteor. Flora Latina fuit.
Diva Tui Regno Patris eſt obnoxia. Iuſſi
Hanc cum muneribus ſemper adeſſe ſuis.

80. Ad Eamdem.

ESt tamen æthereis pulcerrima forma deabus:
Dixerat Ignipotens, Regia nimfa, deus.
Dixerat hæc cælo cùm Te vidiſſet ab alto.
Cui Sol, qui noſtro cuncta ſub Orbe videt:

Et

Et Danaën nescis & cœtera nomina? Si non,
Hæc vultu Danaë est, Tyndaris esse potest.

81. De Cupidine.

QVicquid in Idaliis proles Cytherëia flammis
Erret, & insano vulgus amore ruat;
Hoc nihil ad Regem, Veneris qui spicula risit,
Donec par atavis virgo reperta fuit.
Dic mihi, quid cœci valuêre Cupidinis arcus?
Seu Venus hos tenuit, sive oculatus erat.

82. De celebritate Reg. nuptiarũ.

VT vidit Regina deûm festos hymenæos
Sarmatici Regis, nectareasq; dapes;
Sic affata Iovem est: cùm talia fœdera mecum,
Sedibus his faceres, vix ea pompa fuit.
At conjux: regnat stirps Iagellonica terris
Pro Iove; sunt illi, quæ Iovis esse putes.

83. Ad maris Balthici nautas.

HEus qui velivolum proscindis navibus æquor,
Quod medium Prussos alluit atq; Gothos:
Rex hodie armipotens hymenëia sacra celebrat.
Quas transis, oræ Sponsus utriq; præest.
Regibus in ponto quæ pars debetur honoris,
Turgida de malis carbasa pone Tuis.

84. Iunonis invidia.

Cùm facere invidiam Lechéis Iuno Polonis
Pergeret, his fertur sollicitasse Iovem:
Quid si Sarmaticis Sol non oriatur in oris,
Gloriaq; in tenebras pompaq; gentis eat?
Cum Cœlo sua sunt Terræ connubia, dixit
Iupiter: huic Solem nemo negare potest.

85. Ad Solem funalibus accensis.

PRogrederis Sol, & Tartesso proxima lustras.
Dum facis hoc, nostras accipe Phœbe preces.
Conde Tuos radios, vultumq; obnube profundâ
Nocte: sit Augustæ densior umbra domûs.
Quò plus est noctis, superant funalia noctem
Clarius: & dubias excitat umbra faces.

86. Ad Seren. ac Potentiss. Regẽ.

NOctivagam Lunam nocturnaq; sidera vincit,
Inclute Rex, thalami pronuba tæda Tui.
Ipse suos condat Sol ad funalia vultus:
Lux tamen & lucis gloria major adest.
Accumbunt Reges perq; atria longa coruscant:
Queis dare Tu posses lumen & in tenebris.

87. De spectaculis Regiis.

AMphitheatrales depressit Sarmata ludos;
Nec Martem jactet splendida Roma suum.
Si quid enim in laurus populi est utriusq;, sat actum est
Laude pari: vicit Regis arena mei.

Si tamti est, fecisse suo spectacula civi;
Plus est, quòd spectant munera nostra dii.

88. De nocturnis seu pyrobolis muneribus.

DIstulit in mediam sua Rex spectacula noctem,
Vt veras tenebras pelleret arte novâ.
Discite quid nostris majorum secula distent.
Restituunt ipsum nostra reperta diem.
Munia Romani falsâ vidistis in umbrâ.
Cogitur invitus nostra videre polus.

89. De Poloniæ Rege Augustiss.

VTrum quod cœlo sunt lucida sidera Phœbi,
Humano generi Rex meus esse potest?
Tuq; Renata potens fueris argentea Phœbe?
An primas Cæsar debet inire vices?
Sæpe Palatinus litem mihi movit Apollo:
Nec poteram caussâ Regis abire mei.

90. Ad Eumdem.

DEsere castra Tui, Rex Vladislaë, Gradivi.
Gessisti rerum (sic ait ille) satis.
Dixit & hoc: non semper eo scutatus in hostem:
Sæpe juvat nudum deliciosus amor.
Hæc Mars. Te thalamus Tuus, ô Rex, sanctius ornat:
Quem licitè Tecum Cæsare nata subit.

91. De thalamo Reg.

QVos pepigit thalamos Rex Iagellonius intrat:
Iam venit ad Sponsum nimfa Renata suum.
Pro foribus videor centum mihi cernere Reges:
Qui faveant, qui dent, accipiantq; fidem.
Nam si vera licet, Rex Vladislaë, fateri;
Amplius in vestro fœdere fœdus inest.

92. Ad matronas puellasq; Sarmaticas, de Austriaco Gynæcéo.

DIva Renata suas rus ad genitale puellas
Miserit, aut notum serviat agmen heræ;
Regia Sarmaticæ veniant ad limina matres,
Nec non & teneræ turba ministra nurus.
Quòd si Reginæ paret manus Austria vestræ,
Sarmatides; vestrum justius obsequium est.

93. Ad Reginam.

SPonsa mei Regis, quo non felicior alter,
Assertâ patriæ sceptra quiete gerit.
Si quæ deinde Tuo condam placitura marito,
Si quid eum tanget; pars Tua laudis erit.
Hoc thalami Tibi lege datum. Discrimine nullo
Seu Regis dicar sive Poëta Tuus.

94. Ad Seren. Regē Vladislaum.

DE thalamis est fama Tuis, Rex maxime, quà Sol
Surgit & opposito littore mergit equos.
Thrax Syriæ domitor terræ Tibi balsama mittit:
Donat Atlantiaci Celtiber Orbis opes.

Quicquid ab his, & humo est: partẽ quoq; barbarus af-
Quod damus, ingenii est, & sine sorde Tuũ. (fert.

95. De se & Epigrammatis suis.

Cùm canerem tædas & festa jugalia Nimfæ;
Quam rerum dominam rura Polona colunt;
Dulce merum fugi. Non hos arbusta liquores,
Quæ peto Castalidum sollicitator, habent.
Quid male consultis promittunt vina Poëtis,
Si limfas nemorum cultor Apollo probat?

96. Ad puerum.

HErculeam superat jam pronâ lampade Calpen,
Phœbus, & obscuro lumine vesper adest.
Fer puer unguentum, da vinum, & necte coronas.
Et fremitu & cantu dum calet Aula, bibam.
Res erat ingenii, quò sobria Musa maneres.
Bacchus adest: horas non habet ille Tuas.

97. Ad Ser. & Potent. Regẽ Vlad.

CRede Tuis, ô Rex (sed & hoc concede) Poëtis,
Victurum de Te quod meditantur opus.
Fallimur, an sequimur non falsa oracula Phœbi;
Nitimur & nostro nomine, sive Tuo?
De Te. Nulla Tuas res dedignabitur ætas
Discere de culto seu rudiore libro.

98. Ad Eumdem.

Est

EST aliquod Numen, quod cùm sensère Poëtæ,
Entheus afflatis mentibus ardor inest.
Sive erat hoc ipsum, seu me locus impulit: ex quo
Sum visus thalamos, Rex, celebrare Tuos.
Arce sedes illâ, quâ despicis omnia mundi.
Hac ipsâ volito mille per ora virûm.

99. De carminibus suis.

CArmina quæ meditor, famæ sibi præmia quærunt:
Estq; mihi quæstûs gloria sola loco.
Mittor in has Musis animum subeuntibus artes.
Atq; ego tam faciles negligo sæpe deas.
Pars ea laudis erit. Tamen hæc si vana putantur;
Ultimus, ô Superi, sit labor iste meus.

100. Ad Ser. Poloniæ Reginam.

SCande triumfales Ferrandi filia currus,
Et supra nubes disce tenere viam.
In decus omne viri justissima mitteris uxor:
Quà præit ille, gradu Tu propiore subi.
Seu bellum metuant, seu sperent præmia pacis;
Suspiciunt culmen cœtera Regna Tuum.

Ad Musam,

quare ipsi, cùm principiò eam Poëtæ invocent, primum locum non dederit.

MUsa, Tibi dederam primas in carmine nostro:
Hocq; loco stabas, qui Tuus esse solet.
Nam Tu principium mihi carminis una fuisti:
Tu felix nostri meta laboris eras.
Sive velim primâ Te luce ruentis Eoi,
Sive vocem prono Sole; vocata venis.
Et tamen, ut numquam mihi riseris ore coacto,
Plus animi in silvis ingeniiq; fuit.
Cessisti meritò Regi mea texta foventi.
Nec caruit res hæc admonitore suo.